

potest adiuvare. Quarto autem loco, quum ad atrabilis excretionem elleborum, epithymum & polypodium cydonio commiscet, licet horum nullum prescribat pōdus, errare tamen nullo pacto poterit, qui Mesue lib. simpl. ubi de his ipsis agit, doctrinā institerit.

DISTINCTIO QVARTA

De Conditis.

MESVE.



CONDIVNTVR plantarum nunc radices, nunc surculi, & similia, nunc flores, nunc denique fructus. De quibus omnibus ordine nobis dicendum est. Primo autem quibus modis fructus condiri habeant.

MAN. **N**VN c omnia melius condiuntur, quam docuerit Mesues, vel sciverint antiqui.

SYLVII. **C**ONDIRI est sapidum, & palato iucundum reddere, idque alimentis maxime convenit, ad medicamenta vero transferitur, ambo autem saccharo vel melle, vel utroque condiuntur, & dulcorantur, ut gulæ & stomacho sint grata, & diu servari possint integra, & recentibus proxima, non ut vires eis novas quaramus, nisi quas saccharum, aut mel, & coctio afferunt, præterquam dum etiam aromata conditis ipsis admiscemus. Condiuntur autem radices, teneri caules, surculi, germina, flores, fructus quarundam plantarum, semina quoque non pauca, & cortices nō modo fructuum, sed lignorum etiam. Quæ vero condienda sunt, si ampliora sunt, quam ut vis condimenti coquendo ad intima usque penetret, vel si quid intus alienum continent, in frusta prius secantur, & purgantur, intus, & si est opus, etiam foris: minora vero quanta sunt, condiuntur. Conditæ vero hæc novisse ad medicum pertinere præter Mesuem, abunde ex Gale. lib. alimentorū colligere licet, atque etiam ex lib. c. ph. p. Illic enim obsonandi, & obsonia parandi artem medico necessariam ait: hic fructuum, aut potius ex his succorum variorum conditorum docet, quod magni sit momenti alimenta, vel medicamenta condimentis ægro iucunda facere, nihil aut parum minuta ipsorum facultate. Condiendi vero, seu ut vulgo loquimur, conficiendi vocabulum latius nobis patet, ut etiam quæ igni clementer coquantur, & quæ sale, & aceto servantur, confici dicamus. Contra item conditi nomen neotericiis medicis in angustum sic est coactum, ut illius appellatione ea veniant sola, quæ conferuis, (ut vulgo vocamus) pulueribus cordialibus, saccharo multo miscentur in grumos exiguos & semissecos. Quæ consistentia agris est gratior, quam conferuarum per se, quam succorum per se.

COST. **P**LANTARVM fructus quorum recentium non semper est copia, sole desiccati, aut sale, acetone macerati, alias, ut nunc quoque, servabantur in ciborum ac medicamentorum usus. Invenit etiam, recentes diutius servari, si in melle reconderentur, aut si obducerentur cera, aut creta, quibus corruptentis aeris vis excluditur. Sed quæ hac in re custodia gratia diligentia adhibebatur, translata postea est ad palatum, & eo perducta res est, ut non fructus modo, sed partes quoque plantarum, etiam duriores, mandendo veniant, & maiori quam recentes gratia sint edendo, saccharo, melleve incocta, atque, ut aiunt, condita. Ex his vero aliæ nullo præcedente artificio recentes condiuntur, ut flores, ut fructus molli & sapida substantia præditi, qui in intimas sui partes calore rarefactas saccharum, & mel facile admittunt. aliæ quæ duriores, aut horridiori constant sapore, non sine maceratione diuturna, quæ molles fiunt, & sapores praeuos deponunt.

A Ita quidem oliuæ, & lupini dulci aqua macerati edendo fiunt. ita nuges, castia purgatoria, myrobalani, rhabbarum, & radices variæ, quæ saccharo, aut melle cōdiuntur. ita (quod magis admirandum) Guaiaci lignū maceratum diuturno tempore in aqua quam fortem vocant incoctum saccharo deposita duritie edendo fuit. Ceterum quæcunq; maceratione, & coctione egent, ut condiantur quum sapore proprio, propterea quæ suis viribus spolientur, cur etiam parvus earum sape usus spectetur, expectatoque auxilio plerumq; medicos frustrentur, plane apparet. Quamobrem, quando ne hæc suo fructu caveant, medicina non parum interest, illud ego ad hanc rem expedire existimari, si in condiendis rebus omnibus, vel maceratis vel etiam non maceratis, humor qui ad sacchari mellisque expurgationem, ac coctionem usurpatur, pro fontana aqua, aut stillatitius esset condiendæ rei liquor, aut succus, aut decoctum. Ita profecto, si cui rosas condere animus est, dissoluta aqua rosarum saccharo, & odore, & sapore, & viribus eas longe præstitura alijs certum est, non vi in eius locum, quæ macerando, aut coquendo abiit solet, restituta.

MESVE.



EPVLAE myrobalani conditæ stomachum & ventriculum firman, appetentiam inuitant, coctionem promouent, rationalem animam partem vegetam reddunt, & sensificam, quapropter visum quoque clariorem, & usu crebro iuventutem diutentur. Accipiendæ vero sunt humidæ, & recētes si harum est potestas, vel saltem arte, & industria idonea humectatæ, quæ stylo passim compunctæ coquantur ex aqua igni lento, donec tenerescant. His in asserem immisissis aqua exprimitur. Deinde biduo hydromelite mergantur. Deinde igni lento clementer coquantur, vase vitreo recondantur, ac melle, cui incoctæ fuerint, mergantur. Dantur post sex menses. Arte autem sic humectantur. Infunde his aquam plurimā, in sola dies octo, deinde separatim obrue arena humida † quarto quoque die novanda, aqua saepe superflua, donec tumescant, & humectentur, idq; vel in dolio, aut alio vase magno fiat, vel in fossa quadā subterranea magna, & loco humido.

† Tertius in simp. Mes.

D **C**HREBVLII scilicet myrobalani cōditi, maxime CHRI. dum sunt recentes, ut diutius & mellius conferuentur, incitant appetitum prostratum, iuvant digestionem, clarificant sensus intrinsecos, acuiunt visum, & corpus in iuventute & sanitate conservant, & materiam phlegmaticam primo, secundo cholicam leuiter exprimendo euacuant. Et communiter dosis est vnus de mane ieiuno stomacho, & possunt continuari singulo mane ad beneplacitum assumentis sunt enim satis in gustu placibiles cum dulcedine, & aromatica ponticitate.

MAN. **E**X Aegypto adferuntur conditi, sed quia casiam re dolent, ideo diligentiores speciatim aqua madefactos cum saccharo iterum condiunt. ARS autem) Hac arte potes quaslibet res aridas, quasi recentes facere.

X 2 C E P V -

MESVE DE MEDICINIS SOLVTIVIS

SYLVII.

CERVALE ex Aegypto condita in Italiam afferuntur, quia vero casiam olent, speciarum aqua madefactas rursus saccharo condiunt. Humectatio autem earum, quam docet Mesues, suspitionem quandam ingerit, recentes non fuisse Damasci tunc temporis, nisi dicas Mesuen addidisse hanc humectandi rationem, ut etiam exteris consuleret, siccas fere recipientibus. Hac autem arte possis fructus quoque alios sicciore recentibus similes reddere. Quinetiam pruna passim modice cocta, compuncta, in aquam frigidam mox coniecta, tumere multum vidimus, nec minus si quis ea passim puncta sine coctione aqua frigida biduo maceret, quod & vna passia, & fructus alij, atque adeo pisces ipsi verum testantur. Hydromeli autem, cui incocti sunt, his exemptis percoquendum est ad aquae consumptionem, post eo melle mergantur, ut in cerasis, & fructibus alijs, quos condimus, integros facimus, eos enim quantum sufficit coctos eximimus ne vranantur, aut distabescant. Humorem deinde per se percoquimus, cum saccharo in fyrupi consistentiam, & fructibus vasi ad repositionem impositis superfundimus, sic enim fructus integriores manent: & cocto probe syrupo fideliter seruantur. Vna mane ieiunio dari potest singulis aliquot diebus. Placent enim sapore amaro & per conditum dulci, & nonnihil aromatico. Quae autem recentes sunt conditae, sunt praestantiores: ac diutius seruantur, quam post humectationem conditae. Ventriculum roborant, ut auferat reliqua: appetentiam inuitant siccis stomacho, ut cetera adstringentia, & contracta: coctionem inuuant per ventriculi roborationem, & suo calore modico, quem aromatica qualitas indicat, & saccharum, coctioque acquirit, facultatem animalem, perficatam ventriculum sinceriores reddit, ob id vegetiores. Nam lux sicca, anima prudentissima. Ventriculi autem maximus est cum cerebro consensus, & affectus suos hae partes inuicem communes faciunt. Proba autem coctione pruna, si reliquae non erent, corpus belle nutritur, & iuuenili simile diu perseverat, neque humoribus excrementosis est obnoxium, nec inde orientibus morbis. Vtenim siccitates aeris imbris in totum sunt salubriores, sic corpora sicca sunt a morbis ex putredine ortis tutiora, quam humida, ut docet Gal. lib. p. de temper. & lib. meth. 8. Ex his patet, quae prius diximus, eas in pretio maiori apud medicos haberi, quam sint merita, cum ex nostris fructibus non pauci, ut olivae, Colymbades, ut nuxes conditae, ut persica Corbolicana, ut cydonia condita, ut pruna Damascena, & Iorrana, & Daetylia quae vocantur, si condiantur eadem praestare possint. Quibus si quid exiguum desit, ut qualitas aromatica in his myrobalanis sane quam exigua, per poma dulcia & odora, & alia prope infinita, imperiuri prompte poterit.

COST.

CHEBYLI. Purgandi facultas quae myrobalanis non conditis inerat per macerationem, in liquorem macerationis materiam excipitur, calorisque, si quae inerat vi aduentitio illo humore exoluta, sola est superstes terrena, acerbaque substantia potestas. quod dum acerbitate cogere ventris substantiam potest: comperere quoque & vomitum, & fluxum alui potest: dū vero superfluum humorem ventriculi desiccatur & absument, appetentiam excitat, qua imbutus ventriculus sensum suctionis & famem non sentiebat, potest quinetiam coctioni opem ferre, non semper tamen, sed ubi acriori caliditate ventriculus laborabat. sit enim coctio modo rato calore. potest etiam sensus, mentemque reddere vegetiores, quod coctione rite celebrata pravi ex cibis non secatent vapores, qui in cerebrum delati perturbant: aut etiam si forte secatent, corrugato, & occluso acerba illa qualitate superiori ventriculi ore cohibentur.

MESVE.



†Tumescit.

MELICA myrobalani conditae ventriculum roborant, eius substantiam, & facultatem contrahendo, & intemperiem humidam corrigendo. Haec autem aqua affusa soli exponenda donec nec tenescant, & humectentur, tunc expref-

sa, ut priores, hydromelite & biduo macerantur, post igni lento coquuntur. coctae ubi parum refrigerunt, mellis albi quarta parte adiecta reconducuntur. Sunt qui praeterea condiant aromatibus, cinnamomo (xyloaloe) cardamomo, croco, moscho, gallia, & similibus.

EMBLICI. Myrobalani conditi, haec est alia species myrobalanorum, qui leniter comprimendo simul euacuant cholera, & phlegma. habent etiam plures alias virtutes, & maxime circa stomachum. Et dosis ipsorum est vnus. Vterius est aduertendum, quod licet istae duae species myrobalanorum condiuntur, ita & aliae possent condiri, & haberent operationes suas proprias efficere.

MONVS hic ostendit, quod neque in Damasco habeantur recentes.

DATA vna semel tota diebus aliquot, ut superior. Haec autem duae species quia sunt amplae, ad condiendum sunt aptae, & item sauae. Ob id etiam conditae afferuntur, raro bellicae, & nigrae recentes conditae afferuntur, & vires habent a Mesue adscriptas, ipsae recentes, aut illis proximae, non autem quae ligno, aut verius lapidi siccitate, & duritie persimiles in officinis habentur. Vide igitur ne opinione magis, quam veritate adductus has myrobalanos tam facias, & aegros quantumvis opulentos sumptu parum necessario, ne dicam noxio, ipse oneres. Quam si veris iudicare possint, qui vsu harum multo, parum admodum profecerunt. His autem si vitandum sit, mallem contulas accurate praebere, quam dentibus parum probe commanfas deuorari, ne sua dura substantia ventriculum laedant, & coctionis vi diutius resistent, adeo, ut ne horis quidem quatuor (quantum tempus harum coctioni tribuere solenne est) percoqui possint, & forsitan vix semicoqui. Nuxes myristicae, hoc est, vnguentariae, vulgo molchatae cum nullam molchi qualitatem olfactui praeferrant, recentes conditae ad nos Lusitanorum navigationibus ex India conuehantur, nostris iuglandibus amplioribus persimiles, cortice viridi, carnoso, & alio lignoso, inter quos est macis, & sub lignoso ipsa nux molchata nobis vsu frequens ad ventriculi robur, & intemperiem frigidam, conditam integram dono mihi iucundissimo dedit Bertrandus, in summo Partheniensi senatu Praeses consilii sumus pariter ac equillimus.

EMBLICI conditi. Ad condiendos myrobalanos, prima, & fructus omnis generis quum sicci sunt, maceratione est opus, quae molles fiant. Macerandi autem materia communis aqua est dulcis, interdum ex varijs plantis stillatitia: immo, & ardens, & quae capitellum vocatur, & vinum, pro varia rerum, quae macerandae sunt natura. Exponi autem quandoque solent ea quae macerantur, solis radijs, ut laxatis moderato eo calore maceranda rei meatibus, attenuatoque liquore macerationis materia, eiusdem liquoris facilius, & in profundiores partes fiat penetratio, quare recte hic Mes. iubet, ut myrobalani macerandae soli exponantur. Sed solarium radiorum vices praestabit etiam equinus finus, calorem lenis thermarum, aut consimilis. Sane autem, quum meli condiri hos myrobalanos inbeat Mesue, non errabis tamen si saccharo condias, quo fere conditi ad nos feruntur. quamquam, si cum aromatibus sit, quae ratione frigida sua natura exuti etiam calefacere possunt; mel potius quam saccharum deligendum est, quod calidius censetur, quod sane mel, quando Mes. tabarzet expectit, hoc loco, & album quidam interpretantur; non tamen tanta est candoris habenda ratio, quanta saporis: immo album mel non vsquequaque probatur, sed fuluam.

fuluum. qualiscunque tamen sit coloris, quod sapore acri cum dulcore, atque odore præstiterit, accedente etiamnum substantia puritate, id erit præ cæteris deligendum.

M E S V E.



CYDONIA condita fluorem alui, vomitumque sistunt, ventriculū roborant, ob id & coctionem iuuant. Sicut autem condiuntur. Cydonia ampla, nulla putredine vitiata, depellata, intus purgata, in frustra idonea secta coque in iulepo multum aquoso. postridie iulepo alio propemodum perfecte cocto percoque. aromatiza muscho. vase vitreo reponē, eo iulepo cui incocta sunt, superdato: Sunt qui ex melle coquunt, alij ex sapa, alij præterea condiunt aromatibus, alij aliter.

CHR. **CITONIA** condita. ipsam enim principaliter constringunt, vel conueniunt relaxationi stomachi, & intestinorum. resistunt fluxui ventris condita cum zuccharo, & assumpta ante cibum, vomitum autem, & ascensum vaporum ad caput prohibent assumpta post cibum. Et dosis eius est vsque ad vnc. i.

SYLV. **CYDONIA** vtraque intus, & foris purgata, quadripartito diuisa, saccharo diuitibus hodie condiuntur, odorem, saporem, & vim cydoniorum prope totam retinentia. Eadem quadripartito secta, diutius cocta ex aqua donec tabuerint, postea per linteum colata sine compressione, deinde cum saccharo percocta in cerati consistentiam, faciunt gelatinam cydoniorum, quod est reliquum, violentius comprimentur cochleari cretum, & cum saccharo percoctum, ad emplastri prope consistentiam, cydoniatum vile constituit. Si autem tam clarum illud quam crassum simul cernantur, cum saccharo, vt prius percoquantur, Cydoniatum fit, quod omnibus in vsu est, quodque ante epulas ad vnc. i. sumptum alium sistit, post epulas vero soluit, & vapores ad caput ex ventriculo attolli prohibet. Quæ virtus est etiam valeantior cydonijs, & aliorum austerorum sub cineribus coctorum, sine saccharo sumptorum. Quorum ratio est initio lib. i. & ad finem lib. 2. alim. & lib. simpl. cap. 3, & lib. 6. sanit. tuend. vbi diacydonium cydonijs conditis viribus affine describitur. Nam appetentiam excitat, quibus ea languet, coctionem iuuat parum feliciter coquentibus. In summa, ventris robur conciliat, & viscerum in eo omnium, ob id vomitum, & fluorem alui sedat, sic autem fit. Accipe succi malorum cotoneorum dulcorum, & minus acerborum, ac maiorum (quæ Asiatici strugia vocant, Galli cotonea feminina,) & mel lis optimi ana sextarios Romanos duos, aceti sextarium vnum, & semissem. Hæc cum super prunas modice coxeris, & despumaueris, immitte zingiberis vnc. iij. piperis albi vnc. ij. Deinde rursus in simili igne recoques ad mellis crassitudinem stomachicis medicamentis debitam. Datur mediocrius mystri mensura horis duabus aut tribus ante cibum, vel aliquandiu post, vel ante exnam. Piper ad vnc. iij. vel ij. & semissem, zingiberis autem ad vnc. iij. si frigida intemperie laborat ventriculus, tolles omnino vtrumque, si calida, si neutra adsit, piperis vnc. i. zingiberis vnc. i. & dimidia sufficet, in qua media mensura componere satius est, in ipso autem vsu si opus est, aliquid vtriusque adijcies. valentius idem adstringit ex succo cotoneorum, quæ parua rotunda sunt, & absolute cotonea nobis dicuntur. *ἀνδράκων* seu *ἀνδράκων* idem dicitur Galen. lib. 6. c. ph. hoc est, ex malis, scilicet cydonijs, quæ absolute *ἀνδράκων* dicuntur, unde oleum *ἀνδράκων* i. cydoniorum, & emplastrum *ἀνδράκων*, quæ colorem mali cydonij referunt ex ærugine vsta lib. 2. c. ph. g. Malo cydonio mistum scammonium efficit ipsum cholagogum Galeno libro prim. alimentorum: unde, opinor, Arabum consuetudo emerit, scammonium in malo cydonio, vt misceat coquentium, & inde etiam cydoniatum Lugdunense scammoniatum.

CITONIA cotonea non condita modo ventrem **COST.** astringenti facultate firmit, imo feruenti cinere, aliæque quauis ratione seorsum cocta id ipsam magis possunt, magis vero etiam si assumantur cruda, sed ventriculo faciunt laborem, quare eorum succo vti præstat: dum enim hic terrena parte crassiori destitutus altius in ventriculi, intestinorumque subit corpus, tum ijs partibus robur addit, & ne aliunde confluentes succos excipiant, efficit, cum, dum quadam superflui humoris in vrinarios meatus expressione vrinasciet (quam vim codotoneo Dioscorideo tribuit) confert nomine deriuationis. Licebit vero hunc recens extractum destillatione per filtrum, seu per laneum pannum percolatum excipere saccharo, & ex arte coquere in diuturnum vsu. Sane in condito cotoneo, quod diacydoniten vocant, est, vt seplasiarum fidem desideremus, qui enim ruborem in eo affectant, in aqua, in qua coquendum est cotoneum alij brasiliū macerant, alij rubrum santalum, vtrique damnandi, quod eo succo propriam codotonei vim perturbant, atque obscurant, sed minori culpa posteriores, quod santalum corroborandi vim habet, brasiliū vero quibus sit viribus nondum est satis obseruatum.

M E S V E.

PYRA condita, cor, & ventriculū roborant. condiuntur vt cydonia.

PYRA debent eligi, quæ sunt magis aromatica, & **CHRI.** cum zuccharo condita, stomachum, & cor confortant. diuersificantur autem in complexione ipsorum secundum completam maturitatem, mediam, & acerbiteriam. Acerba enim sunt frigida complexionis, & sicca, versus secundum, perfecte matura sunt frigida, & humida versus primum cum aliquali caliditate, & siccitate. Medie vero matura sunt frigida, & sicca in primo, cum aquosa, & corruptibili humiditate. Ideo non condita sunt fugienda. Condiuntur autem sicut citonia cum zuccharo, vel cum melle. & condita cum melle acquirunt gradum caliditatis, & siccitatis, cum zuccharo autem minorem gradum caliditatis cum aliquali humiditate. & tempus assumentum est ad beneplacitum.

PYRORVM vel aliorum quoque fructuum magna est differentia, non in generibus solum, sed etiam eadem in specie, qua saporibus distingues, ex hisque facultates iudicabis, vt libro 4. simp. docuit Gal. Ex pyris præsertim acerbis, aut acidis, & fructibus similibus tot compositionum genera fieri possunt, quot ex cydonijs dicta, & ea cum saccharo, vel melle, cum, vel sine aromatibus. Ex his quoque iulep, & syrupus fieri potest. & succus horum liquidus, & siccus seruari potest. eodem modo in fructibus prope reliquis, atque adeo in herbis ipsis facere possis: Est præter hæc syrupus de pyris, & succus pyrorum sole, vel igni siccatus, vt in syrupis leges.

M E S V E.

POMA condita confirmant, syncopen, & cordis palpitationem sedant, condiuntur, vt citonia.

POMA condita, debent eligi odorifera, & **CHRI.** condiuntur sicut citonia, tamen sunt complexionis frigida, & humida in primo licet in complexione diuersificentur. sicut & pyra cum sunt in maturitate, vel acerbitate ipsorum, & dum condiuntur cum melle, vel zuccharo, sunt enim alteratiua superflua caliditatis,

Mesua.

X ;

luditatis,

MESVE DE MEDICINIS SOLVTIVIS

lidatis, & siccitatis in stomacho, hepate, corde, & renibus, sed sunt duræ digestionis, & mali nutrimenti, & maxime cruda, & non condita.

SYLV. **P**OMA condienda sunt odora, hæc vero condita saccharo, partium principum intemperiem calidam siccam emendant refrigerante vi sua, & humectante, odore autem etiam vitalem spiritum instaurant. Quam ergo syncopen, & palpitationem emendant, ex his patet. quamquam deposito cortice, & coctione odoris magnam partem deponant.

M E S V E



PERSICA condita ventriculū calidum, & cor firmant, sitim sedant, oris foetorem emendant. condiuntur, vt cydonia.

CHRI. **P**ERSICA condita sunt frigide complexionis in fine primi, & humidæ in secundo, & condiuntur sicut citonia: stomachum tamen calidum, & cor confortant complexionem ab eis remouendo, & sitim extinguunt, si cum zuecharo condiuntur.

SYLV. **H**ÆC quod frigida humida odorata sint, imbecillas partes has ab intemperie calida sicca roborant, sitim extinguunt à calida, vel sicca, vel vtrique causa nasci solitam, vt lib. j. simpl. cap. 30. præcipue cum saccharo condita, vt lib. 7. simpl. c. de melle. odore præterea cor ipsum, spiritumque vitalem recreant, & oris odorem tetrum præcipue ex putribus in ventriculo humoribus procedentem tegunt.

M E S V E



CITRA condita ventriculū, corque roborat, coctionem iuuant, oris halitum commendant. Cortices citrorum tam magnorum, quam vola manus capere potest, carne purgati lixiuo claro mer-

† Vulg. & mutetur super eos vsq. ad nouē dies semel.

gantur † dies nouem, mutato ad diem quintum. post merge aqua clara, donec amaritudine deposita dulcescant: tunc vase mundo, aqua fontis plurima coquantur, donec tenerecant, aquosa deinde substantia ab his expressa in vase lapideo mergatur 24. horas, iulepo sufficienti ex saccharo albo, & aqua tripla constante. post coquantur igni lento, ad penidiorum consistentiam. Extracti ex iulepo cortices, vase vitreo reponantur, superfuso singulis vicissim velut incrustandis iulepo rosato ad mediocrem, seu sacchari candefacti crassitiem cocto. Sunt qui ambra, & moscho aromatizant. Datur post mensem.

CHRI. **C**ITRA condita stomachum, & cor confortant, & digestionem bonam faciunt, & oris odorem. habent tamen diuersas complexionēs secundum diuersitatem partium eorum. Nam cortex exterior est calidæ complexionis in fine primi. Caro autem eius est frigida versus primum, & humida in primo, pars vero eius magis intrinseca acetosa, & acris est frigidæ complexionis in fine secundi gradus, & sicca in primo. Grana autem eius sunt calidia in primo, sicca autem in secundo. Et eius complexio resultans ex omnibus partibus est frigida, & sicca in primo, licet frigiditas superet siccitatem. Condiuntur

etur autem cortices cum zuecharo, vel cū melle, & sic calefaciunt, & confortant principaliter digestionem stomachi, ac etiam cor. Ponuntur etiam minute incisi, quando sunt mollificati, seu conditi cum zuecharo in confectionibus cordialibus, vt inferius apparebit. Sic etiam condiuntur cortices aranciorum solū, cum melle, & illo modo calefaciunt stomachum, desiccant humiditates in eo, ipsum confortando in virtutibus suis, & isto modo multum habetur in vsu, & cortices aranciorum attinent alicui caliditati, & siccitati, sed minori, quam cortices citri. Condiuntur etiam partes carnosæ, de qua sunt confectiones delectabiles in diuersi formis, & etiam in compositis.

Nuces conditæ dum sunt virides, & acerbæ sunt frigidæ, & sicca complexionis in primo. Cum autem ad completam maturitatem perueniunt caliditatem acutam acquirunt in secundo, & siccitatem in primo cum nitrositate quadam, linguam ulcerant, & vntuositate multa. Et modus, & tempus præparationis earum, & condiendi eas est dum sunt virides, quia non aliter condiuntur quam pira, & poma, vt in litera ponitur aperte: & aromatarij, sint bene docti in præparando eas cum melle, caryophyllis, & alijs aromatibus. & valent ad stomachum confortandum ita, quod a ieiunantibus multum habentur in vsu. sic amygdalæ recentes, & arancia parua præparantur ab aromatarijs peritis.

Quid hic expositores de nucibus minere, argumentum præbet in eorum codicibus de ista agi, sed ea de re in multis habent exemplarij errare videmus.

A D D I T I O.

Modus condiendi citra habetur etiam ab Auic. & Haly, & Serap. Sed & Serapio in proprio antido. habet conditum nucum, quod apud multos habetur in vsu ad ea, quæ dicuntur in textu. Vltimo hic describam quoddam electarium mirabile de nucibus, & à quibusdam practicantibus multum habetur in vsu. valet enim principaliter debilitati, ac frigiditati eius renem, & relaxationi matricis, & superfluitati humiditatis eius. Confert etiam fluxui antiquo menstruorum, immo est eius curatiuum aliquali euacuatione præmissa, & confert cuilibet dolori ventoso frigido in nutritiuis. iuuat etiam ad digestionem cibi in stomacho. Et dosis eius est de mane vacuo stomacho à superfluitatibus cibi vsque ad drachm. iij. Cuius descriptio est hæc. Recip. horum nucis vnciam s. anisi vnc. i. seminum agnicasti, foliorum rutæ, calamenti, cypri, cymini ana vnc. s. Ligni aloes, macis, caryophyllorum ana drachm. i. Carui, ameos ana vnc. s. rosarum rubearum, seminum lactuæ, semini. portulacæ, balautiarum, ana vnc. i. s. sandalorum alborum, & rubeorum, nenupharis ana vnc. i. myrobalanorum chebulorum, & emblicorum ana vnc. s. zuechari q. s. Agnus castus arbor nota non faciens fructum, calidæ complexionis in primo, sicca in secundo. habet mirabilem proprietatem ad desiccandum sperma, prohibens desiderium ad coitum, & virgæ erectionem. & ad suffumigationem eius ad matricem tollit omnes eius appetitus. Et si rami eius sternantur in lecto iuxta renes omnino prohibet pollutionem. Nenuphare. vtiunt solum floribus eius. nascitur in paludibus, & aquis dulcibus stagnorum, & sunt frigidæ, & humidæ complexionis in secundo. multum confert ad somnum pron-

Inueniuntur pulchra.

Conditio de Nucibus descripta.

Agnus castus.

Nenuphar.

prouocandum secundum omnem modum administrationis. Reliqua vero simplicia sunt superius declarata.

MAN. **C**ORTICES vel foli conduntur, pulpa abiecta, & calidi sunt; vel sola pulpa extimo abiecto cortice, & frigidi; vel vtrumque, & ferè temperati. **SICVT** habet) Ad mediocrem videlicet.

SYLVII. **C**ONDITIONES cortices hi in compositiones cardiacas ob id recipiuntur, quia cor roborant, & calefaciunt. Conditur etiam caro quibusdam idem pollens, sed refrigerat, ut ambo simul condita sunt temperata. eodem modo conduntur cortices aranciorum, & limonium, quos vocant, quinetiam ipsi fructus parui toti conduntur interdum, ut virentes multum nuces, & amygdalæ, & alia pleraque. Lactucarum, buglossi, cirsij, brassicæ, asparagorum, & aliarum herbarum multarum teneri adhuc caules, à multis hodie conduntur saccharo, & iucundissime eduntur. Semina quoque non pauca, si magna sunt, interdum depellata, si parua, qualia tulit natura, saccharo ad syrupi consistentiam cocto, his manu subinde motis, succellis, confrictis paulatim cochleari affuso incrustantur, & ceu testorio quodam vestiuntur, quo modo citri corticem Mesues vestit, succulia tamè solum pelui, non etiam manibus versatum: & nos arancij corticem minutim sectum, & emmamomi vulgaris integimus, & caryophyllum, vocamusque saccharum aranciatum, vel canellatum. Idem in cortice cucurbitæ sic, carbassatumque vocant. Inter semina vero ferè incrustantur amygdalæ frequentius dulces cum fursure parum terendo siccate, pistacia, strobili, nuclei persicorum, prunorum, cerasorum, bombacis, coriandrum, anisum, anethum, formicula, carum, cuminum, ammi, semen agni, cannabis, amomum, cardamomum, cardamum, cardumeni, eruca, erysimum, sinapi, vtiæ, cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli semina, papaueris albi semen, absinthij marini semen, quod barbotiam vocant, & semen contra lumbricos. Sed ex his minora manibus subiguntur, maiora pelui succissa integuntur saccharo, primum, ut dixi cocto, ad postremum paulo crudiore, ut læues, & polita sint facie. Fructus aut saccharo, aut melle, aut ambobus conduntur, interdum integri, & cum seminibus, sed ferè imperfectis, interdum seminibus purgati. Ex fructibus siquæ non pauca adhuc tenera, & virides, ac molles, nondum ob siccitatem lignosæ, & exucae conduntur, sic ceratium, cassiam Arabum, siliquam raphani, erucæ, sinapis, leucoij omnis, erysimi, cardamomi cuiusdam, à quibusdam condiri videmus, ut gratiora sint, & viribus imbecilliora, quod ante maturitatem decerpuntur: sic & siliquastrum pyramidale dum viret, quidam condunt, non expectata maturitate per quam iubet semine plano, flauo iura crocante feruidissimo turgida, ventriculo frigido saluberrima, zingiberis conditi vice. Fructus vero alij quibus est plus carnis, frequentius conduntur ut ab exteris, sic à nobis. Externorum autem prius condituram declarabo, quod pauci sint, & quorum declaratio iucem affert necessariam zingiberis condiendi prædictæ humectationi. De myrobalanis ergo conditis dicendum est, post ad fructus nostrates transibimus, in quibus sermo & prolixior, & nobis multo utilior est futurus. Nam myrobalani conditæ maioris, quam pro merito fieri hodie videntur, quasi pars pretij sit eas è longinquo venisse, & ob raritatem apud magnates magis in pretio sunt, quam ob singularem aliquam facultatem, cum nihil aliud, quam valenter adstringere deprehendantur, ut taceam, quod alioqui cocti sunt difficiles, ut nescias, an ventriculo coquendi sui difficultate plus obfint, quam adstrictione roborando profint. Non addo, plurima ex adstringentibus, immo verius omnia quatenus adstringunt, & proinde siccant, nonnullas ventriculi imbecillitates, ut quæ ab intemperie sicca proveniunt, lædere, ut Gal. lib. Meth. 7. demonstrat. Quæ limitatione adhibita, sunt vera, quæ à Mesue scribuntur.

COST. **P**IRA, Poma, Persica, &c. Nunc omnis ferè generis fructus conduntur saccharo, aut melle, in palati gratiam. Alij quidem acerbiore, nondumque ad perfectam magnitudinem euecti, nempe quicumque durioris sunt corticis, ut inglandes nuces, pinei nuclei, auellanae, ut etiam myristica nuces: alij integra magnitudine, ac ferè maturitate, quibus tenerior est cortex, ut cerasa acida, quas amarenas vocant, armoniacamala, pruna, persica, pira, poma: quin etiam ex olerum fructibus cucurbita, melones, ac cucumeres,

A tum adhuc exigui, tum ad iustam magnitudinem perducti: suam vero hi naturam seruantes, valde tamen, coctione saccharo, aut melle refractam. tunc vero ferè abolitam, quem maceratione est opus. est autem ea opus, quoniam id quod condiendum est, vel duriori est substantia, ut citri cortex, ac caro, vel ingrato sapore præditum, ut polygonati radix, acrior, quam ut sit edendo, vel vtroque modo ineptum, & substantia quam permeare saccharum condiendo nequit, & sapore ingrato, ut nostrates nuces. In condiendo citro, cuius meminit, qui aqua stillatitia corticis, aut florum aurantij mali saccharum dissoluerit, sanè ad ventriculum, corque roborandum, ad orisque emendandum halitum efficax reddet, ad quos usus lixiuio per dies nouem maceratum, saporeque, & odore proprio spoliatum valere parum admodum potest.

MESVE.



ERINGIVM conditum renes calfacit, venerem excitat, flatum tamen ventriculi dissipat. sic autem conditur. Radices eius amplæ, albæ, teneræ, à cortice cineritio, & ligno interpurgatæ, in frusta pollicaris magnitudinis sectæ, vno caryophyllo humectato, & particula zingiberis humectati (ut mox in zingibere condito dicam) fractæ intus, vnde lignosa portio exacta est, coquantur in æquali pondere sacchari, & duplo melle, vel melle solo, sed triplo. coctis addatur aromatum pondus iustum. Datur ab vncia vna ad uncias duas.

Secacul.

† Saccharo recentiores.
† Spicium alefanginarum.

Dixi supra quid esset, videri tamen potest ex modo loquendi Mesue, quod ipse aliam rem intellexerit. Nostri pro eo condunt eringium.

MAN.

CVRUM secacul Mesue interpretatur eringium, lege in nostris annotationibus in Antidotarium. Quæ vero aromata, & quanto pondere addi possint, ex sequentibus conditis colliges, quamuis & sine his solo melle aut saccharo, aut vtroque condita hæc radix sit odorata Dioscoridi, & gustu aromatico. Datur dormituri, mox etiam à cibo, & ante cibum tuto sumi potest etiam largiore mensura. Radices cynosorchis, & serapiadis, & vtriusque satyrj similiter in eundem usum hodie conduntur. Nam hæc omnes etiam Dioscoridi ad venerem proniores reddunt: Mesues autem has radices hoc modo condit.

SYLVII.

DSECACVL. Non est secacul eringium, ut alias sostendimus. solet tamen eringium etate nostra illius loco ad excitandum Venerem sumi non prorsus frustrato euentu. in quem usum ad Mesue mentem passinaca vteris earundem virium, ut mox subdet.

COST.

MESVE.



ZINGIBER conditum intemperiem ventriculi frigidam, & humidam sanat, & ab ea tardam, & deprauatam coctionem, quæ cibos in acidam cruditatem corrumpat. viscerum lubricitatem corrigit, flatum dissipat, alimenti in hepar, & corpus reliquum distributionem celerat. sic autem fit.

MESVE DE CONDITIS

fit. Zingiberis recentis, si haberi potest, sin minus, saltem arte humectari pars vna coquitur, vt eringium, cum mellis partibus tribus, & sacchari parte vna. Sunt qui zingiberis humectati, & eringij portionem æqualem simul condiunt, fitque delicatius. quidam præterea condiunt aromatibus, alij aliter. Humectandum autem zingiber album, purum, recens, aqua affusa primum, deinde arena obrutum, vt in cepulis myrobalanis mox dicam.

CHRI. **Z**INGIBER habet cum non est conditum quādam humiditatem ultra suam naturalem siccitatem, & ideo conditur, & præseruatur. Conditur autem cum zuccharo solo, cum est viride, & præparatur in partibus orientalibus, & illud est melius, licet etiam præparetur, & condiatur dum est siccum, sed non est sic delectabile, nec inuatiuum. Et vsus eius est magis conueniens in hyeme, quam in æstate, & magis senibus, quam iuuenibus, & ab ipso caueant febrientes, & habentes renes, & caput calidum.

MAN. **Z**INGIBER conditum ex Ægypto adfertur, & viride vocant.

SYLVII. **Z**INGIBER viride, nobis etiam vulgo dicitur, quia recens saccharo conditum, ob hanc delicatius affertur ex loco natali Arabia, & Troglodytica in Ægyptum, & inde ad nos. Hyeme, & seni est, & aliter frigidis salubre, calidis natura aut morbo, & æstate, est noxium.

COST. **Z**INGIBER. Zingiberi quod apud nos iam aridum conditur, non ea est gratia, quæ condito quum est recens. sunt tamen qui nostrum ad calfaciendum valentius esse existiment, superfluo humore, qui recenti inerat, iam assumpto, quare etiam acrius videtur nostrum externo. Caterum quia diu maceratur ad condiendum, alieno humore imbuatur, dandum non puto quod aiunt, nisi forte in decocto Zingiberis ipsummet Zingiber fuerit maceratum. Sed neque acrimonia condito nostrati maior inest, licet cum substantiæ duritie (quæ, ne celeriter mandatur, efficit) suam acrimoniā magis, quam recens primo gustatu ostendet.

MESVE

DIA ZINGIBER, idem pollens quod zingiber conditum, sic fit. Sacchari albi partes octo, mellis albi partes quatuor. Saccharum aqua & melle solutum coquatur quantum necesse. tunc zingiberis boni, albi, leuissime puluerati partes tres curiose misceantur.

MAN. **V**IDI ex puluere aridi, & saccharo parari veluti offas, efficaces in calefaciendo ventriculo, & inflatione, discutienda.

SYLVII. **E**LECTARIUM hoc fuerit, vt vocant, tamen ob rei affinitatem & virium conditis iunxit. Potes etiam saccharo in aqua soluto, & cocto puluerem hunc comprehendere, & in offas, aut tabellas, vt vocant, formare, idque ventriculo frigido fuerit salubre, & inflationi discutiendæ.

MESVE

RADIX pastinacæ idem potest quod radix eringij, & similiter conditur.

MAN. **capulinos** Græcè, pastinaca latinè. Condiuntur etiā elixa cum melle & aceto, & non inutiliter ad mensas venit.

SYLVII. **C**ONDITIONE etiam ex melle & aceto elixa, si que in mensas non inutiliter venit. alij quoque aliter. Radices etiam dauci, cari, sesari, raphani, panacis horrentis, apij, & similiter calidæ, in pituitosis hominibus idem præstant etiam tantum frixa, vel ex iure carniū, aut cum butyro largo coctæ. Quin & raparum, & naporum radices ex paucis aromatibus conditæ, & sumptæ, viribus sunt proximis, ari, dracontij, assatorum, bryonia, iridos, hermodactylorum, gentianæ, asphodeli, pæoniæ viriūque radices conditæ fuerint efficacissimæ. Elenij autem radix saccharo, aut melle condita partes metritorias roborat, obstructa liberat, pesti resistit. Hactenus radices domesticæ, quas vires conditæ habeant, dictum est: nunc exoticæ sunt dicendæ.

RADIX. Pastinacam cum secacul pares habere **COST.** vires scribit, quo eam quoque flatu ventriculi dissipare, renes calfacere, & excitare venerem putat, quæ illi munera tribuebat. at pastinacam tamen flatum excitare, & eo nomine conferre ad venerem apertum est. Caterum licet pastinaca sponte sua excitet flatu, qui partibus ventriculo inferioribus communicati tentionem faciunt; additis tamen aromatibus ijs, qui in condiendo secacul veniebant, cum flatum procreatione ventriculum quoque calfacere apte potest, & prestare cetera, quæ illud præstat.

MESVE

G **C**ORVS conditus cerebri, & neruorum affectibus confert. conditur, vt eringium. Quin & singulis eius partibus duæ eringij boni adduntur.

CHRI. **A**CORVS conditus confert multum ægritudinibus frigidis neruorum, & cerebri, & paralyti, & similibus, & modus condiendi est, sicut dictum est. fit tamen ex acoro electarium pretiosum, quod vocatur diacorus. cuius descriptio ponitur à Mesue in par de appropriatis, sum. iij. cap. i. de ægritudinibus neruorum, vbi pro eius descriptione, virtutibus, & operationibus, nunc est recurrendum. & illud electarium est multum in vsu, & valet multum mollificationi linguæ diu in ore retentum, sicut debet fieri in omni electario, quod assumitur pro passionibus capitis, vt fami, & vapores possint commode euaporare ad cerebrum.

MAN. **A**CORVS vulgaris non est verus acorus, sed radix xyris, vt constat ex pictura vtriusque apud Diosc. quandoque suspicatus sum radicem, quæ à speciaris calamus aromaticus dicitur, esse veram acorum.

SYLVII. **A**CORVS Indicus iam notior, & galanga maior dictus sumatur, non nostras palustres. Frigidis cerebri, & neruorum affectibus saluber est sumptus, & ore diu retentus, qualis vsus est rectus eorum, quæ his capitis affectibus prodesse volumus, vt inde vapor in cerebrum prompte tollatur. Idem pollet electarium diacorum à Mesue descriptum in sua praxi, capite de affectibus neruorum. Nostrum tamen acorum officinæ conditum habent, sed inuitem omnino censemus ad neruorum, & cerebri frigidos affectus. Quapropter dammandus est, atque abiiciendus, ne posthac medici parum periti hallucinentur, & eius vsu ægros prodant, ac in sumptum non necessarium conijciant.

ACORVS

COST. **A**corus. Pro acoro, siue galangam, siue calamum aromaticum quis cōdiat, cerebro & nervorum affectibus vtile parabit conditum. Verum, quia hec arida afferuntur, maceranda sunt, licet macerationis Mesue non meminerit in condito ex secacul, ad cuius rationem acorum condiri iubet. Nostrum autem vulgatum acorum, quamvis non omnino inodorum, aut insipidum, quia tamen paludem refert, prorsus omit-
terem.

MESVE.



ACCHARVM rosatum, ventriculum, & cor, & viscera reliqua firmat, ipsorumque intemperiem humidam emendat. fit autem sic. Folia rosarum albarum, vel rubrarum nodum perfectarum in umbra siccantur, donec ipsorum humiditas excrementosa resoluatur. teruntur tunc in mortario lapideo. additur sacchari albi triplum. reponuntur vase vitreo, aut vitriato pergamina operculato. mensibus tribus insolantur. in die saepe agitantur, soli auferuntur, seruantur. Sunt qui rosas omnino imperfectas cōdiunt, ut valentius adstringant. Sunt item qui rosas non terūt, sed forficibus incisas cum saccharo manibus curiose confricant, post insolant.

CHRI. **Z**uccharum rosatum est multum in usu in processu febrium acutarum de materia subtili cholerica permixtum cum aqua frigida. prohibet enim vehemens incendium in eis, sitim extinguit, & resolutionem spirituum prohibet, maxime dum est recens. Non est autem conueniens, ut quidam practicae ignoantes ipsum exhibēt, in principio febrium, stantibus oppilationibus, & materia cruda. Et dosis eius esse potest, vsque ad vnciam. j. s. cum vno cyatho aquae frigidae tempore congruo. Et antiquatum confert phthisicis, sanguinem & saniem reiicientibus, vel expuentibus in quacunque summa & pondere, ut recitat Auic. x. tertij autoritate Gal. de quadam muliere, quae cum solo zuccharo rosato ex phthisi curata fuit, dicens, quod ipsa assumpsit pondus incredibile. & distemperatum cum aqua hordei confert fluxui dysenterico, & similibus passionibus.

MAN. **N**on sunt alij modi faciendi zuccharum rosatum pulchrius enim & suavius fit ex succo rosarum in formam placentarum saccharo redacto, quod & vim quandam retinet ciendae alui. amouendi tamen semper sunt a rosis vngues.

SYLVII. **C**um agat hoc loco Mesues de floribus saccharo, aut melle conditis ad dulcorationem, & conseruationem, rectius rosas saccharatas, aut mellitas appellauerit, & eodem modo violas, & flores buglossi, & rorismarini saccharatos, aut mellitos, vel ut hodie omnes appellamus, conseruam rosarum, violarum, buglossi, rorismarini, quam saccharum, aut mel rosatum, violatum, buglossatum, rorismarinatum. Quia & hodie aliter nobis fit horum sic appellatorum vnumquodque. Nam rosas tantum rubris exunguatis recentibus tritis in mortario lapideo duplum sacchari hodie miscemus, mox citra insolatum reponimus, vase tamen non ad cumulum repleto, ut feruendi sit locus, nec foras exiliat. Saccharum rosatum fit saccharo soluto in aqua aequali rosarum albarum, vel melius in succo rosarum rubrarum exungulatum, & coctoad iustam crassitiem. Id vero postremum vires quasdam aluum mouendi retinet. Sunt qui saccharum in aqua infusionis,

aut coctionis rosarum rubrarum siccarum solum coquant, sed hoc, ut praecedens rubrum est, & tanto praestantius eo, quod ex aqua rosarum sit album, quanto rosae rubrae etiam a Mesue albis praefertuntur. Intemperiem calidam emendat, & partes spirituales, quae a calore dissolui periclitantes cogendo firmat, praesertim recens, & sitim extinguit: ob haec febribus biliosis iam coctis prodest ad seiscunciam, cum aqua frigida triplo: initio autem obstru-
tionum, & cruda adhuc materia, nocet. Antiquatum vero sanguinis sputo, & sequenti hoc sputum phthisi prodest, ut mulier quidam largo huius usu, a phthisi perlanata narretur quorum, dam testimonio. Idem aqua hordei dissolutum dysenterias lenit. Rosas tum siccis, tum recentibus, tum harum succo, & aqua, ambarum quoque decocto, vel infuso varie utimur, ut in syrupis praecipue audies. Rosas autem rubras intellige, nam, albis non utimur nisi destillatis, dum recentes sunt, quod sicca nihil oleant, contra quam rebrae. Sunt praeterea qui rosarum, & aliorum florum conseruam faciunt ex folijs florum purgatis, non tritis, saccharo optimo, & siccissimo puluerato alternatim instratis, deinde insolatis, eoque grauissimam, quod tritura floribus odorem fere aufert, vel saltem minuit.

B **Z**uccharum ros. Qui rosas nunc condiunt, non (ut **COST.** iubet Mesue) eas arefaciunt, sed recentes, ubi vnguem absciderint, celerrime contundunt, ac saccharo albo commiscunt, ad consistentiam syrupi perducto. admirandum ergo non est, si sacchari rosati vulgaris usus non ita ventriculum confirmat, ut de eo Mesue polliceatur. ab humidiori profecto rosarum recentium substantia terrenarum partium vis retunditur, quarum desiccandi, & corroborandi est munus. Et eleganta quidem vulgare illi praestabit, quod ex aridis fit rosas: pharmacopoeorum tamen esset, rosas ea quoque ratione parare, qua hic praecipit. Ad huius emulationem nunc quidam elegantissime integram condiunt rosam. nempe ubi in umbra aruerit, saccharo ad consistentiam decocto immergunt, distinctisque priusquam refrigeretur, stylo ligneo eius foliolis reponunt ea soliditate, qua non inficit manus. Interdum etiam non ineleganti, neque ingrato usu, saccharo rosaceo subducendi alui, ac strenue etiam purgandi facultas conciliatur, dissoluto saccharo ex fenae, aut alterius rei purgantis decocto.

MESVE.



ACCHARVM violatum bilis incendium, sitimque extinguit, aluum subducit. fit ut rosatum, nisi quod violae paulo diutius, & in umbra siccanda, & cum saccharo insolanda.

CHRI. **Z**uccharum violatum est magis infrigidatiuum, & extinctiuum sitis, & caliditatis, quam rosatum. sed non est sic delectabile. & praeparatur, ut rosatum. valet etiam asperitati, & siccitati gutturis, & cannae pulmonis, linit enim & alterat, & aperit vias illas. vnde confert in synanchia cholerica, & in pleuresi, & similibus passionibus. Et dosis eius est vsque ad vnc. j. cum aqua hordei. vel sume ipsum paulatim lambendo. Vbi vtiliter est notandum, quod sicut tam rose, quam violae, condiuntur cum zuccharo, ut apparet in litera, sic etiam & multo magis cum melle, & sic habent diuersas operationes efficere, sicut mel a zuccharo differt in complexione. utitur autem melle rosato sicut dictum est superius in diamu-
sco, sed melle violato tantum in dysenterijs ad alterandum, & abstergendum phlegma, cum alijs, quae ponuntur, ut inferius patebit, & apparebit.

IN-

MESVEDECONDITIS

MAN. **I**NDICENT tamen viola &c.) Dubium est mihi hoc, siquidem vis earum facile resoluitur, quare puto addendum negationem, ut scilicet intelligamus, non esse soli exponendas, vel longo tempore adseruandas.

SYLVII. **V**IOLARVM humiditatem excrementosam siccando vult absumi, ut in simplicibus docuit, quamquam sunt qui putant ob id quod vim earum facilem resolui iudicant, minus diu licendas in umbra, & insolandas. Valentius refrigerat quam rosatum, sed ingratus. Fauces ite & asperam arteriam lenit, & dilatat, ob id biliosa cynancha, & pleuritidi salubre est, si per se paulatim lambatur, vel eius vicia una cum aqua hordei paulatim sumatur. Horum viola nigra, seu purpurea florum usus est etiam in melle violato, & syrupo violato multiplici. Flores viola nigrae recentes cauda, & viridi ceu caliculo purgati, in mortario lapideo triti duplo saccharo miscentur, mox ut conferva rosarum reponuntur, aut cum Mesue triplo saccharo, aut melle. Efficacius sit saccharum, & mel violatum ex violarum recentium succo, aut infusione multiplici.

COST. **Z**uccharum violatum. In hoc parando sunt, qui totum viola florem detractio pediculo sumant, quos ex Mesue redarguas, qui rosarum more condiri violas scribens, ut violarum sola foliola detractio calice, cui insidebant, condiantur, etiam monet. Et est sane huius ad hunc modum parati sacchari maior gratia in sapore, odore, colore, licet ubi calix simul contunditur, quod ea pars insipida, & inodora frigidior est, & humidior, efficacius eos prestare usus posse videtur, ad quos hoc saccharum commendatur. Verum quamcumque partem condiendam sumpseris, monet Mesue, ut viola quando recentes inutilis succi plurimum habent, antequam condiantur, flaccescere paululum in umbra permittantur, id vero magis, quam quam condienda sunt rose. Esse tamen suspectum hoc potest, quoniam, quum ad bilis incendium, sitimque reslinguendam, atque ad leniendam alium redundans ille humor plurimum momenti habere possit, curandum est, ut non modo magis, sed longe minus arefiant, quam rose, quarum vis firmandi viscera, humidamque corrigendi intemperiem ariditate adiuvatur. Sed veretur fortasse Mesue ne cum tanta humoris copia violaceum saccharum situm contrahat, ac corrumpatur. ob id enim, ut postquam conditum est, diutius insoleatur, monet.

MESVE

SACCHARVM buglossatum cor ipsum roborat, eiusque tremorem, & syncope sanatur, maniacos & melancholicos iuuat, fit ut violatum.

CHRI. **Z**uccharum buglossatum. accipiuntur flores, & condiantur cum zuccharo, & est multum in usu tale zuccharum. Est enim multum conueniens debilitati cordis, & ipsius tremori, & omnibus passionibus melancholicis, resistens superfluae resolutioni, & calefactioni, maxime permixtum cum zuccharo rosato, margaritis, corallis, & alijs cordialibus medicinis, de quibus dicetur inferius. Et dosis eius est vsque ad unc. j. Et eodem modo preparari poterit zuccharum melissatum, & valet sicut illud, non est sic in usu.

MAN. **V**ERA buglossus dicitur, quam nostri vulgo boraginem vocant, quae tamen in antiquo herbario Apuleio adscripto, corago vocabatur.

E **D**ATA ad vnciam vnam per se, miscetur autem saepe alijs cardiaceis, ut saccharo rosato, margaritis, corallis, & similibus. Similiter fit ex floribus boraginis etiam recentibus, & capitulo, cui inferuntur purgati, in mortario lapideo tritis, addito sacchari duplo, aut cum Mesue triplo.

SYLVII

Zuccharum buglossatum. Sunt & boraginis florum sola sumenda foliola, ut in violis. asperior enim ille apex, qui in medio flore insidet, & calix, qui folia ambit. si simul condiantur, minus gratiam conditum reddunt. neque tamen si detrahantur, quidquam illius detrahunt facultatis, quam illi hic author ascribit.

COST.

MESVE

SACCHARVM rosmarinatum cor, ventriculum, cerebrum roborat, flatus pellit. fit ut rosatum.

Zuccharum alchilil. boraginatam, quia factum cum floribus boraginis est multum in usu. Et valet sicut zuccharum buglossatum. Et istorum duorum saepius fit admixtio simul. Et sic habentur in usu, & maxime in passionibus superscriptis in zuccharo buglossato. Et dosis eius est eadem cum illa.

CHRI.

ADDITIONO.

Zuccharum alchilil, id est zuccharum quod fit ex floribus rosmarini, quae alio nomine corona montis vocatur. Simon Ianuensis in suis synonymis dicit Alkeligebel. id est rosmarinum, & est species libanotidis.

Corina montis.

LEGE Alchilebel, & est rosmarinus. Appellant autem confectioem, quae ex floribus eius paratur, dianthos. Solent tamen aliud parare, secuti Nicolaum, cui aromata multa adduntur.

MAN.

FIT ex floribus rosmarini, & harum partium intemperies frigidas suo calore corrigit, quo etiam flatus dissipat. Saccharum quoque cichoriatum fit, seu conferva florum cichorii recentium ad partium nutritiarum intemperiem calidam, & obstructions. Fit item ex floribus pernici chologoga, & hydragoga, ex floribus salutarum ad frigidos affectus cerebri, & nervorum, & floribus genistae nostratis ad obstructions renum. In his sacchari conditis, & in sequentibus ex melle his respondentibus singulis libris sacchari, aut mellis adduntur rosarum, violarum, & aliorum florum vncia iij. ut triplum sit saccharum, & mel. hodie autem fere duplum tantum miscent, ut sit valentius, licet ingratus. Quinetiam flores caparis sale conditi seruantur, & flores genistae non dum aperti aceto, & sale seruati primis epulis capparum loco sumuntur, magno succellu nec ingrato sapore.

SYLVII.

Saccharum rosmarini. Rosmarini flores conditos dianthos vocant excellentia quadam, qua reliquos fere superare videntur, tum quia sui parte omni odore, & sapore praestant amplius, quam ceteris; tum gratia, atque usu. Eadem diligentia hic quoque ut in superioribus detrahendum est quidquid praeter foliola illa summa superest. licet enim partes eius floris omnes sapore, odoreque praestent, duriora tamen reliqua sunt, & concoctu difficiliora, & minorem cum palato gratiam in eunt. Nicenum dianthos praestantissimum est. Qui Venetijs alibi hoc parant, ubi deteriore florem hunc regio parit, si saccharum ex aqua eorundem florum stillatitia, vel ex decocto dissoluerint, plurimum illi roboris comparabunt.

COST.

ME-

M E S V E.



MEL rosatum sic fit. foliorum rosarum, ut dictum est, in umbra siccatum, partes duæ in mellis boni partibus sex coquantur elementer quantum oportet. Sunt qui foliorum loco, succi corum, & mellis portionem æqualem ponant, & coquant. Alij foliorum, & succi ana partem vnā, & dimidiam, mellis partes tres.

CHRI. **M**EL rosatum est calidæ complexionis. & est multum in vsu. & licet superius de ipso dictum sit, tamen hic etiam vtiliter replicabo: fit enim ipsum cum substantia rosarum, quandoque cum solo succo ipsarum. Et his duobus modis ad formam electarij reducitur cum delectatione multa in eius assumptione. quandoque colatur & ad formam syrupi reducitur. Et his modis est multum in vsu, qualitercunque præparetur. Nam virtutes efficacissimas habet. Est enim digestiuum materierum phlegmaticarum contentarum in stomacho, & meseraicis, ac etiam in intestinis, abstersiuum illarum, confortatiuum virtutis digestiue stomachi, calefaciendo ipsum. & eius virtus non transcendit regionem hepatis, & vtimur eo maxime cum syrupo simplici acetoso, vel composito in principio febrium phlegmaticarum cum aqua fœniculi, vel endiuie, secundum quod cum phlegmate est multa, vel nulla admixtio cholerae, dando in dosi, vnc. j. vtriusque syrupi, non tamen cōueniret in febre pure cholerica. Et eius dosi in forma solida est vnc. j. & s. siue sit cum substantia rosarum, siue cum succo. & ipsius colati dosi per se solum est vsque ad vnc. ij. si expedit cum aqua simplici actualiter frigida, seu calida secundum tempus anni. Et hic notandum quod tempore veris vtile digestiuum materierum phlegmaticarum, ac etiam ab ægritudine præseruatiuum, & sanitatis conseruatiuum corporibus impotentibus, & alijs quibuscunque quærentibus purgari, vt illo tempore cōmuniter fit, est mel rosatum sex diebus assumptum de mane in aurora cum hac decoctione. Recipe passularum, anisi, liquiritiæ, capillorum veneris ana vnc. j. mastiches gra. vj. fiat decoctio, vel cum decoctione ex radice apij, fœniculi, & petroselinij. Et hoc erit maioris prouocationis, & apertionis, sed prima plus utebatur Thomas summus practicus.

MAN. **D**ICITVR hoc primum, mel rosatum cum folijs. **E**T sunt qui ponunt, mellis & succi rosarum. Hoc dicitur mel rosatum colatum.

SYLVII. **F**OLIA rosarum, & violæ flores, & buglossi, & rosamarinij, vt saccharo, sic melle condiri diximus, vt delicatiora sint, & seruari queant. Viribus autem tantum differunt, quantum mel, & saccharum. Porro id mel rosatum non modo hac conferuatur, seu elect. mollis, aut elegmatis forma seruiatur rosis tuis, sed etiam syrupi, cum scilicet colatum est. Primum genus mellis rosati Mesue, sunt qui appellant mel rosatum cum folijs, seu non colatum, secundum ex succo, scilicet ac melle, mel rosatum colatum, tertium vero ex ambobus mistum. Hic autem mel rosatum ex tritis rosarum folijs recentibus facimus. Id vero postea igni liquatum, linteoque percolatum, mel colatum vocamus. Rectius ex infusionis multiplicis rosarum recentium, & mellis pari mensura in syrupi consistentiam mel rosatum colatum coquant, & quo plures sunt

A infusiones, eo valentius. ex rosarum autem siccatum infusione nō fiat, nisi medicus imperet. Secundum mellis rosati speciem non ex æquali succo, & melle cum Mesue coquit Aetius, sed succum rosarum exungularum melli triplum miscet, ac insolat, aut colatum coquit, cui affine est Dioscorid. ex succo rosarum, & melle rhodomeli, quamquam quomodo fiat, & qua vtriusque mensura, non addat. nec dissimile est Pauli rodostactum ex duabus succi rosarum exungularum paribus, & vna mellis coctis simul despumando ad partis quartæ cōsumptionem. Id mel rosatum colatum ex largiore succo, vt triplo, aut multiplici infusione cum pauco melle liquidius, & potabile, fluxiones calidas, & febres ardentes etiam in accessionis vigore datum larga copia, tēpestiue, & cocto iam morbo febres acutis sæpe extemplo soluit sudore, aut acrium & calidum succorum per aluum deiectione. Coquit mel rosatum vtriusque in partibus nutritorijs pituitam, & terget (non enim hepar transcendit eius facultas) coctionemque suo calore modico iuuat, affectibus autem solum biliosis insalubre est, vt mel. Idem sex matutinis a quibusdam datur vere ipso cum decocto ex vuarum passularum, anisi, glycyrrhizæ, adianti albi, ana vnc. j. mastiches granis sex, vt pituitam probe apparet purgationi in sanis, sed egrotare timentibus, aut etiam tum ægrotantibus.

MEL ros. Quo pacto hoc paretur plurimum habet momenti. ex rosis semiaridis confectum non secus, atque saccharum rosaceum, de quo proxime agit viscera corroborandi astringendo vim habet. at ex succo vel infuso præsertim multiplici etiam deterget, & purgat.

M E S V E.



MEL violatum, buglossatum † rosamarinatum, fit vt rosatum, nisi quod † rosamarinato sunt, qui aromata adijciant.

MEL violatum est etiam multum in vsu, & solum vtimur eo in clysterijs cum oleo, & decoctione herbarum, vel cum aqua hordei, & alijs ad leniendum, & alterandum, & aliquantulum ad abstergendum, & maxime acute febrientibus, & de ipso ponimus vsque ad vnc. ij. cum casia, vel puluere de zuccharo, quandoque cum benedicta, quandoque cum hiera picra vsque ad vnc. s. secundum exigentiam. Et modus condiendi est, sicut de melle rosato.

MELIS violati vsus est frequens clysteribus, quoties abstergendum, refrigerandum, lubricandum: reliqua duo sunt rara. frequens tamen florum buglossi vtriusque, & rosamarinij conferua, quam prius saccharum buglossatum, & rosamarinatum, Mesue vocari diximus, pro floribus buglossi, & rosamarinij, saccharatis, seu saccharo conditis. Mel passulatum quod vocant, quod ex vuis passis calente aqua maceratis, coctis, colatis, ad mellis crassitatem recoctis, fit, est frequens in Mesue cōpositionibus. vt elegmate pineo, elect. diabryonias. id nos inter sãpas reiecit, mel item emblicarum scilicet myrobalanorum, hoc est, quo hæ sunt conditæ, & seruantur.

DISTINCTIO QVINTA

De speciebus loch.

M E S V E.



CLEGMATVM quædam sunt iucunda, alia sumentibus ingrata. In vtroque genere describam ordine celebriora; vt salubriora in particularium morborum curatione.

HÆC est quinta pars principalis, in qua Mesue determinat de Loch, quod similitudinem quædam habet in modo substantiæ cum electarijs, de quorum